



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio octaua vtrum hæc gratia miraculorum se extendat ad operandum
effectus tempore distantes, seu ad efficiendum per instrumentum actu
non existens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

non possit fieri effectus, incredibile est, cum nulla repugnantia, aut contradictio in hoc appareat, & simile est de voce Christi, quando per illam operabitur miracula: quis enim credat oportuisse, ut realiter perveniret usque ad infernum, seu sinum Abraham, ut inde animam Lazari revocaret? aut, cum dixit Ioan. 4. *Vade, filius tuus vivit*, fuisse necessarium, ut vox illa perveniret usque ad locum, in quo erat filius Reguli, ut per illam, sanitatem ei præstare posset? Vnde Greg. hom. 28. in Euangel. notat, Regulum illum imperfectam fidem habuisse, eo quod corporalem præsentiam Domini requireret, ut filium suum sanare posset.

Ad rationem ergo dubitandi in principio positam responderi solet, ad agendum necessarium esse, ut principale principium actionis attingat effectum, vel per se ipsum, vel per instrumentum: quia ergo divinitas Christi est principale principium harum actionum, & illa est ubique, ideo per humanitatem potest illas efficere, etiam ubi humanitas non est. Sed contra hanc responsionem urgeri potest, quia actio, quæ sit per instrumentum, proxime ab illo pendet, alias instrumentum nihil efficeret; ergo, si contractus necessarius est, maxime in ipso instrumento, alias pari modo dici posset, causas secundas naturales non requirere hunc contractum, quia Deus, qui cum illis concurrat, & suo modo per illas operatur, ubique est. Respondetur tamen, hanc conditionem non esse essentiali actioni, seu virtuti agendi, sed requiri interdum, iuxta proportionem virtutis actionis: agentia enim naturalia, quia habent finitam virtutem, & imperfectum ac determinatum agendi modum, illam conditionem fortasse requirunt; Deus vero, non ex indigentia virtutis agendi, sed ex immensitate sua, & ex infinita perfectione habet, ut non opereatur, nisi ubi est: tum quia non potest non ubique esse: tum etiam, quia sicut in esse, ita & in operari perfectissimum modum sibi vendicat. Vel vero instrumenta Dei, neque agunt per potentiam naturalem, ut inde limitentur ad agendum per contactum, neque habent tam perfectum modum existendi, vel operandi, ut ex hac parte illis repugnet operari, ubi non sunt, & ideo hoc illis communicari potest per infinitam Dei virtutem, cui obediunt, & in qua principaliter nituntur in actione sua. Et per hoc patet ad primam confirmationem: ad secundam vero dicitur sectio sequenti.

SECTIO VIII.

Vtrum hæc gratia miraculorum se extendat ad operandum effectus tempore distantes, seu ad efficiendum per instrumentum actu non existens.

HÆC est secunda difficultas huius materie, & oritur ex duplici capite. Primum est de effectibus gratiæ, qui tempore antecesserunt Christi humanitatem, seu Incarnationem, quos certum est manasse à Christo homine, ut à causa meritoria: difficultas vero est, an ab illo etiam manaverint, ut à causa efficiente, ita ut humanitas Christi fuerit physicum instrumentum, per quod Deus effecit gratiam in hominibus, qui ipsam præcesserunt. Quidam enim Theologi hoc affirmare voluerunt, inter quos est Capreolus in 4. distin. 13. quæst. unica, artic. 3. ad argumenta contra primam conclusionem circa finem & Sotus in 4. distin. 1. q. 2. art. 3. & in fine totius 4. qui nullo fundamento nituntur. Sotus enim solum allegat quædam testimonia Pauli ad Roman. 3. & sæpe alias docentis, antiquos Patres fuisse iustificatos in fide Christi: ex quo non potest colligi efficientia physica, sed solum, quod propter merita Christi præmissa, gratia antiquis Patribus collata sit, & ideo fides eius fuerit semper necessaria ad illam iustitiam consequendam: repugnat autem hæc sententia cum D. Thom. doctrina infra quæst. 62. artic. quinto & se-

Axto, ubi negat, passionem Christi, antequam facta esset, potuisse efficienter operari per sacramenta veteris legis, quia causa efficiens non potest esse duratione posterior, quam effectus, & reliqui omnes discipuli Domini Thomæ in hoc illi consentiunt. Et ratio clara est, quam ipse Divus Thomas tetigit, quia causa efficiens requirit realem existentiam, ut efficere possit: sicut enim causa finalis requirit saltem esse apprehensum, ut in suo genere causet, & implicat finem causare, nisi saltem apprehensus sit ita causa efficiens requirit esse actualis existentie, ut efficere possit. Quod in primis patet ex communi omnium Philosophorum consensu, imo ex communi conceptione omnium hominum, nam cum efficere, significare esse reale per veram actionem, & influxum realem, nec mente concipi potest quomodo talis actio manet, & pendat ab eo, quod nondum est. Vnde arguitur secundo, quia efficere aliquid, includit dependentiam realem effectus à causa; dependet autem realiter, intrinsece includit, ut id, quod dependet, existere non possit sine alio; id enim, quod existere potest, etiam si aliud non existat, non potest dici vere dependere ab illo; in quo enim consistet hæc dependentia? implicat ergo dicere, effectum dependere à causa, sine qua esse potest, & existere, antequam illa existat, loquendo de propria, & physica dependentia in genere causæ efficientis. Tercio hic habet locum argumentum illud, quod causa, vel instrumentum agere non potest sine virtute agendi, res autem, quæ non existit, nullam virtutem agendi habet, quia nihil est; vnde nec potentiam naturalem habet nec obedientialem, quia hæc fundari debet saltem in entitate rei, vnde nec elevari potest, nec moveri à primo agente, nec concursus recipere: quomodo enim hæc cadere possunt in id, quod est nihil? Quarto denique ab inconuenienti, nam alias sequitur, posse creaturam assumi ut reale & physicum instrumentum ad sui creationem, vel productionem: nam si aliqua specialis repugnantia in hoc intercedit, maxime, quod supponeretur existens, antequam esset producta: sed hoc non sequitur, iuxta hanc sententiam quæ affirmat, potuisse humanitatem Christi esse physicum instrumentum antequam existeret; consequens autem est plane falsum, & contra omnes, & expresse contra Divum Thomam in hac quæst. artic. 2.

D Sed dicunt aliqui, Christi humanitatem non potuisse efficere gratiam antiquorum Patrum secundum suum esse reale, quia illud nondum habebat, ut bene probant argumenta facta: effecisse tamen illam secundum esse apprehensum, quod habebat in fide credentium, sicut nonnulli Philosophi dicunt, obiectum apprehensum mouere efficienter voluntatem. Sed hæc sententia, si eius sensus tantum sit, Deum usum fuisse fidei Christi tanquam instrumento physico ad efficiendam gratiam in anima, non est quidem impossibilis, ut per se constat: non est tamen vera, neque ad modum probabilis, tum quia nullo fundamento probabilis nititur, sed profus diuinat: tum etiam, quia nunc, quando homo iustificatur per dispositionem propriam sine sacramento, gratia non fit efficienter ab actu fidei vel charitatis, ut constat ex materia de gratia, & de charitate; & tamen etiam nunc iustificatur homo per fidem Christi, & perfectius quam antea.

Quod ergo ad hanc primam partem huius difficultatis attinet, dicendum est, Christi humanitatem non fuisse instrumentum physicum ad aliquid quod opus efficiendum prius, quam existeret & vnita esset Verbo, quia hoc implicat apertam contradictionem, ut ostensum est. Nec mirum est, quod sic illa humanitas, antequam existeret, non habuit gratiam prophetie, nec gratiam linguarum, vel aliam quamcunque gratis datam, aut gratum facientem, ita nec habuit gratiam sanitatum vel operationum: eadem

Responsio
ad argum.

Simultas loci
causæ agentis
& passivi,
quomodo necessaria sit
ad actionem.

Capreol.

S. 1.

Rom. 3.

D. Thom.

eadem enim est ratio de omnibus, quia existentia est omnium fundamentum, unde non magis pertinet ad talis humanitatis perfectionem habere talem gratiam, antequam existit, quam existere antequam existat.

Quod vero Sotus supra significat, Christi humanitatem iam existentem effecisse omnem gratiam, quæ prius data erat antiquis Patribus, licet aliquo sensu possibile sit, est tamen incertum, & ad præsentem disputationem non pertinens. Quod enim illa gratia iam semel facta, per Christi humanitatem denuo fiat illam actionem, qua primo producta fuit impossibile est: quia illa gratia, & actio, per quam fuit producta, independens fuit à Christi humanitate toto anteriori tempore. Impossibile autem est, ut res prius existens sine dependentia ab aliqua causa, incipiat ab illa dependere, sine aliqua mutatione, saltem in ipsa actione, quia, si pederet incipit, mutatur secundum dependentiam, quæ est per actionem ergo necesse est saltem actionem esse diuersam. Denique, si iam res semel producta est, & existit, simpliciter impossibile est, denuo produci per aliam causam. Non est autem impossibile, ut tota gratia, antea producta sine Christi humanitate, incepte effectiue conseruari per humanitatem iam existentem: & noua actione conseruantem qualitatem alia actione prius productam, quia in hoc nulla est repugnantia: tunc enim non causaret humanitas, antequam existeret, neque effectus, ut ab illa est, tempore antecederet, sed comitaretur tantum, & ideo dixi, huiusmodi efficientiam ad præsentem difficultatem nihil pertinere. Est tamen incerta hæc efficientia, quia, cum illa gratia iam esset producta, & sufficienter conseruetur per eandem permanentem actionem, per quam producta est, non videtur necessarium ponere illam mutationem actionis, & nouam conseruationem, præsertim, quia etiam de tota gratia, quæ in lege noua communicatur: etiam si per Christi humanitatem, & eius sacramenta fiat, incertum valde est, an semper in conseruari pendeat ab efficietia physica humanitatis. Et fortasse non est necessarium, quia non oportet gratiam illam quasi miraculoso modo semper existere, neque habere aliam dependentiam, præter illi connaturalem.

Secundum caput huius difficultatis est de humanitate Christi iam quidem existente, operante tamen per actiones vel passionem, quæ in ea aliquando fuerunt, sed iam non sunt, ut fuerunt passio, mors resurrectio, ascensio, & similes. Sunt enim quidam Theologi, qui volunt non solum humanitatem Christi secundum se habere virtutem ad efficiendam in nobis gratiam, resurrectionem, vel similes effectus, sed etiam posse uti actionibus, vel passionibus suis iam præteritis, tamquam physicis instrumentis ad eodem effectus, quam sententiam defendunt Capreol. etiam in 3. distinct. 14. quæst. 1. & Sot. in 4. distinct. 1. quæstion. 5. artic. 4. quibus videtur fauere D. Thom. multis in locis, agens de passione, & alijs mysterijs Christi, infra q. 48. artic. 6. & quæst. 50. artic. 6. & quæstion. 15. artic. 1. ad 2. quæst. 52. artic. 1. ad 2. q. 56. artic. 1. quæst. 57. artic. 6. quibus locis ait, passionem Christi, resurrectionem, &c. efficienter causare nostram iustificationem, resurrectionem: &c. Et ad eundem modum loquitur Alex. Alens. 3. p. quæstion. 20. m. 2. art. 2. & 6. quæstion. 23. mem. 7. artic. 2. Et confirmari potest, primo, quia resurrectioni Christi in Scriptura tribuitur, quod sit causa nostræ iustificationis, ad Roman. 4. Resurrexit propter iustificationem nostram. Et quod sit causa nostræ resurrectionis ad Ephes. 2. Conresuscitauit nos, & conseruare fecit, ubi simile quid indicatur de ascensione, & de sepultura idem significatur ad Rom. 6. Consepulti sumus, &c. Sed resurrectio, ascensio, & sepultura non sunt causæ meritorie nostræ iustitiæ, aut resurrectionis, ut infra dicitur: ergo solum potest hoc pertinere ad causalitatem eff-

Fr. Suarez Tom. 1.

ficientem. Et confirmatur, nam humanitas per vñionem ad Verbum sortita est vim efficiendi hæc diuina opera. Ergo communicauit suis actionibus, & passionibus hanc virtutem propter eandem vñionem, quod significauit Ambrosius super Psalm. 36. tractans illum locum Ioan. 1. Quod factum est, in ipso vita erat. ubi sic inquit: Caro facta est, in ipso vita est: mors facta est, in ipso vita est, resurrectio facta est, in ipso vita est. Et sic de alijs. Et tandem concludit, Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vita nostra conuersio facta est, ut, quæ perierat, redderetur. Quomodo autem intelligenda sit hæc efficientia, nonnulli ex Thomistis dicunt esse mysterium reconditæ Theologiæ, unde in eo explicando varij sunt, nec inter se consentiunt. Ego vero nullum fere mysterium in hac difficultate inuenio, sed clare & simpliciter existimo explicari debere, nulla fingendo mysteria, quæ nec fundari, nec intelligi possunt, si tamen ea, quæ impossibilia sunt: mysteria appellare licet.

Dico ergo Christum Dominum per quaecumque actionem, vel passionem suam eo tempore, quo illam patiebatur, seu, quo actio illa existeret, potuisse, vel gratiam, vel alios effectus supernaturales efficere, sicut enim per contactum carnis suæ, cum actu fiebat, vel per vocem aliquam, quando illam emittebat, faciebat miracula, ita per quamuis aliam actionem, vel passionem suam, suo tempore existentem, poterat idem efficere, quia non est maior ratio de vna, quam de alia. At vero actio, vel passio, quæ præterijt, ut reuera fuit mutatio quædā, vel quodam fieri, quod pertransijt, non potest nunc esse instrumentum, vel actio physica vere ac proprie efficiens supernaturalem effectum, qui nunc fit. Quam sententiam bene docuit Vega libro 7. in Triden. ca. 18. cum D. Bonauentur. in 3. distinctione 19. articulo 1. quæstion. 1. & (ut existimo) est sententia Caietani, quem statim referam. Et probatur aperte ex supra dictis, quia res, quæ non existit, non potest esse instrumentum physicum ad aliquid efficiendum, ut satis probatum est.

Respondent aliqui, hoc verum esse de re, quæ nunquam extitit, secus vero esse de re, quæ iam semel fuit, quæ cum iam habuerit entitatem, per illam potest esse instrumentum. Et addunt alij, rem, quæ esse desijt, per proprietatem suæ naturæ non posse aliquid efficere, tamen per virtutem occultam, quæ in illa mansit ex merito & valore, quem habuit propter dignitatem personæ: posse vere efficere. Alij vero addunt, quando agens principale adhuc existit non necessario requiri, ut instrumentum etiam actu existat sicut supra dicebamus, Deum ubique existentem posse uti instrumento ad agendum, ubi ipsum instrumentum non existit. Sed hæc, neque rem explicant, neque aliquid probabilitatis afferunt: nam primum, quid refert ad efficientiam, quod res fuerit, si iam non est, neque aliquid vice sui reliquit, per quod dici possit efficere? Si hoc enim reliquisset, iam non esset instrumentum id, quod præterijt, ut sic, sed id, quod perseuerat, in quo aliud quodammodo, seu virtute manet: si autem res, quæ fuit, omnino iam non est, non magis est apta ad agendum, quam si nunquam fuisset, quia nihil prorsus entitatis habet, unde nec est capax virtutis, vel potentie ad agendum: nam, illam rem fuisse, solum est relatio rationis, quæ nihil ad efficientiam realem potest deferuire, sicut etiam, rem esse futuram, est relatio, quæ non satis est, ut res futura agat, antequam existat. Quod vero additur de virtute occulta, quæ mansit ex tali actione, vel passione propter meritum eius, nihil ad rem explicandam confert, quia illa virtus, vel est aliqua res, quæ vere & realiter manet in humanitate, & hoc non est contra id, quod intendimus: quia iam non est instrumentum, quod pertransijt, ut sic, sed quod manet, siue talis res manens, vere aut falso contingatur, quod nihil refert

Xx

ad

Christus per actiones, & passionem suam quomodo operatur.

Vega, Bonauent. Caietani.

Nihil refert ad agendum, quod res existit.

ad praesentem difficultatem. Vel illa virtus occulta nihil in re ipsa praeter actum, qui praeterit, qui ratione sui meriti & valoris potest dici semper manere in acceptatione diuina, & ut sic habere virtutem ad causandam gratiam: & hoc sensu recte quidem intelligitur, quomodo actus praeteritus in genere meriti possit habere rationem causae, non tamen in ratione proprii principij efficientis, quia (ut dictum est) ad efficiendum physice requiritur existentia seu realis entitas rei, & non satis est, esse in acceptatione vel in apprehensione. Quod denique additur sufficere, ut principale agens existat, omnino falsum est, quia etiam instrumentum (si tamen verum, & physicum instrumentum est) vere & realiter agit, & effectus ab illo pendet, media actione reali, & ideo non solum in principali agente, sed etiam in instrumento requiritur actuale esse, & hoc probant rationes factae in primo puncto huius sectionis, scilicet, quia alias etiam res, quae neque habet, neque unquam habuit esse, esse posset instrumentum physicum: quia satis esset, quod principale agens actu existat, & consequenter posset esse instrumentum ad productionem sui, aut certe ad productionem, si res, quae aliquando fuit, esset in nihilum redacta, quod non minus absurdum est. Quocirca non est eadem ratio de praesentia locali, & de actuali existentia, quia existentia, vel est ipsa actualis & realis entitas rei, vel certe sine illa esse non potest; effectus autem pendet intrinsece, & essentialiter à sua causa, prout habet entitatem realem, per quam agit, & ideo, si tollitur existentia, omnino tollitur virtus seu ratio agendi: at vero praesentia localis, est accidentaria conditio rei superaddita, à qua non pendet essentialiter virtus seu ratio agendi, & ideo non est similis ratio.

D. Thom. sententia.

Mors, & resurrectio Christi quo modo sint instrumenta iustificationis & resurrectionis nostrae.

Nec existimo, Diuum Thomam voluisse docere contrarium aliquid huic sententiae, prout explicata est, cum enim ait, Christum per passionem, vel resurrectionem suam efficere in nobis iustitiam, vel resurrectionem &c. non loquitur (ut existimo) de passione, & resurrectione, ut fuit quidam motus, vel actio, quae pertransiit, sed ut aliquo modo intelliguntur haec manere in ipsa humanitate, in qua passio, & resurrectio facta est. Et secundum quandam accommodationem humanitas, prout passioni vel morti subiecta fuit, dicitur esse instrumentum ad liberandum nos à morte peccati: ut vero resurrexit, dicitur accommodatum principium nostrae resurrectionis, & sic de alijs. Et hunc sensum indicauit factus Diuus Thomas q. 56. artic. 1. ad 3. ubi dicit, resurrectionem Christi esse efficientem causam, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum diuinitatis, & operatur in virtute eius, ut supra inquit, dictum est, citans locum huius questionis, in qua versamur, ubi Caietanus ad hunc modum, hanc D. Thom. sententiam intellexit. Et eundem sensum indicauit idem D. Thom. quaest. 50. artic. 9. & quamuis Vega supra hunc etiam Diui Thomae sensum impugnet, non est tamen, quod in eius impugnationibus immoremur quia (ut dixi) non tam in rigore metaphysico, quam secundum quandam accommodationem, & proportionem intelligendus est.

Nec ex locis Scripturae, quae in confirmationem primae sententiae citantur, aliquid aliud colligi potest, est enim resurrectio Christi causa nostrae resurrectionis, & in genere causae exemplaris, & ratione sui termini: quia Christus resuscitatus, est causa efficiens nostram resurrectionem, & quia resurrectio nostra ita pendet à resurrectione illius, quod, si ille non resurgeret, nec nos resurgeremus. Et idem est de ascensione, & similibus, ut latius in sequentibus, agentes de his mysterijs, explicabimus. Et idem est sensus Ambrosij in citato loco, verisimum enim est, omnes Christi actiones, & passionem esse nobis salutare, & propter nostrum bonum aliquo modo fa-

ctas esse: non est tamen necessarium, nec verisimile (etiam si id non repugnaret) omnes illas per se, ac proprie effectiue concurrere ad productionem omnis gratiae, quae in nobis sit, esset enim hoc superfluum & impertinens, tam ad dignitatem Christi, quam ad nostram utilitatem. Vnde ad ultimam confirmationem respondetur, quod, sicut humanitas Christi ratione vnionis habet, ut sit instrumentum diuinitatis ad miracula facienda, ita actiones humanitatis sunt veluti media, per quae humanitas hanc virtutem exercet: tamen, quia usus huius potestatis seu gratiae non est necessarius, sed voluntarius: non oportet, ut per omnem actionem suae humanitatis Christus hanc virtutem exerceat, sed prout ipse voluerit. Et sicut illa humanitas non habuit hanc gratiam, antequam existeret, nec retineret illam, si esse desineret, & amitteret simul cum existentia actuali vnionem ad Verbum: ita quando iuxta hanc gratiam operatur, utitur aliqua actione sua actu existente, & sibi vnita, non vero actione, vel futura, & nondum existente, vel praeterita, quae iam neque est sibi vnita, neque existens quia illa non est capax talis efficientis, ut dictum est.

Statim vero occurrebat hic difficultas, quomodo Christus interdum efficiebat miracula per verba, quae prius finiuntur, quam operentur. Sed haec difficultas proprie pertinet ad formas sacramentorum, & ideo vsque ad quaestionem 10. differenda est.

SECTIO IX.

Vtrum Christi humanitas efficere possit miracula abique praua actione, & consequenter, an poterit esse instrumentum creationis, aut annihilationis.

HAEC est vltima difficultas huius materiae, quae plures inuoluit inter se connexas. Ratio autem dubitandi in illa est, quia (ut supra dicebamus ex doctrina D. Thomae 1. part. quaest. 45. ar. 5. & 2. lib. cont. Gent. cap. 21. ratione 6.) instrumentum non potest eleuari ad efficiendum effectum principalis agentis, nisi per aliquam actionem praeuiam sibi proportionatam: sed Christi humanitas non poterat habere actionem praeuiam ad effectum miraculorum, nam licet posset, aut verbum proferre, aut tangere mortuum, aut aliam similem propriam actionem exercere, tamen haec non possunt dici actiones praeuae ad effectum principalis agentis, quia ad illum nihil conferunt vel disponunt: atque adeo perinde se habent ad talem effectum, ac si non fierent: si enim tactus, vel vox Christi per se, & natura sua nihil confert ad suscitandum, verbi gratia, mortuum, quid attinet ad talem effectum efficiendum? In instrumentis enim artis, vel naturae, quae nos experimur, & ex quibus colligimus, necessariam esse actionem praeuiam, talis actio de se aliquid confert ad effectum principalis agentis, saltem disponendo, & ideo tale instrumentum habet proportionem cum tali effectui, & tali agente, & non cum alio: ergo si actio propria instrumenti nihil confert ad effectum principalis agentis, illa non est sufficiens ad actionem instrumenti: alias, si illa sufficeret, certe non esset necessaria, cur enim dicemus, eam actionem, quae nihil ad effectum confert, necessariam esse ad illum? Et confirmatur, nam actio praua instrumenti semper versatur circa subiectum, in quod operaturum est agens principale, ut, verbi gratia, calor ignis circa lignum, est quo ignis producendus est, & sic de alijs: at vero saepe actio Christi, per quam faciebat miraculum, non versabatur circa subiectum susceptivum effectus miraculosi, sed vel circa medium, ut vox, vel interdum manere poterat in ipsa anima CHRISTI, ut si per actum voluntatis faceret miraculum.

Hæc